



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Suspensiones contra Religiosos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

ad ipsam Ecclesiam pertinentia: Capitula, & Conventus, qui aliquid directè vel indirectè accipiunt ob receptionem alicujus in religionem aut post illum. Moniales tamen conventionem de dote facientes nulli pœnæ subjacent. *Ibid.* §. 3. n. 1. & seq.

35. Suspenduntur Capitula, singulæve personæ beneficiorum resignationem extra casus & formam Bullæ Pii V. *Quantum Ecclesiæ*, admittentes. *Ibid.* n. 15.

Suspensiones contra Religiosos.

36. Suspenduntur Conventus & Capitula aliquid in receptione alicujus in religionem petentia: religiosi tamen non incurrunt censuras in clericos simpliciter latis, quia religiosi simpliciter non dicuntur clerici. *Ibid.* §. 4. num. 1.

37. Prælati Prædicatorum Minorum mendicantium admittens aliquem ad probationem nondum expleto professionis anno, suspensionem incurrit. *Ibid.* n. 2.

38. Item suspenduntur religiosi qui ad sacros ordines nondum professione facta promoventur. *Ibid.* n. 3.

39. Suspenditur quoque Apostata sacrum ordinem in apostasia recipiens. Idem militat in eo, qui ad aliam religionem invalidè transit, & in ea sacros ordines recipit. *Ibid.* n. 4.

40. Religiosi quicumque monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis præsidentes, &c. & jura, redditus, vel possessiones eorundem monasteriorum, &c. alicui quovis modo concedentes, &c. pecunia etiam inde recepta, suspenduntur, & invalida est concessio. *Ibid.* n. 5.

41. Gravantes, seu defraudantes Ecclesias circa decimas eis debitas, easque sine causa, vel privilegio sibi usurpare præsumentes, suspensione ligantur, donec destiterint & satisfecerint. *Ibid.* num. 6.

42. Suspenduntur fratres Ordinis Prædicatorum non reddentes ordini libros, & alia quæ habent, cum ad Episcopatum aliasve Prælaturas promoventur. Prælati quoque religiosorum, ad quos occasione prohibitorum excessuum à suis subditis commissorum aliquid quoquo modo pervenerit: hi autem excessus sunt: retrahere testamentum à legatis faciendis Ecclesiis matricibus: retrahere testatorem à debitis restituendis, & procurare vel legata, debita, vel malè ablata, incerta dentur sibi aut aliis singularibus personis ordinis sui in præjudicium aliorum quibus debentur. *Ibid.* n. 7. & seq.

43. Præ

43. Prælati religiosorum non satisfaciens Prælato de damno à suis subditis in concione indiscreta illato, suspensio remanent. Item Confessarii qui requisiti pœnitentibus sibi confitentibus conscientiam de solvendis decimis scienter facere præmittunt, suspensionem contrahunt. Similiter & Abbates aut alii quicumque licet exempti litteras dimissorias aliis quam suis regularibus subditis concedentes, suspensioni subjacent. Item concedentes dimissorias vel ordines novitio nondum expleto probationis anno. *Ibid. n. 19. & seq.*

44. Suspenditur monachus niger S. Benedicti, habitu & vestitu, juxta præscriptam formam, non utens. Item monachi aucupationi aut venationi clamorosa ex proposito intereludentes, suspensio remanent. *Ibid. n. 14. & 15.*

45. Fratres Prædicatores Inquisitoris officium à Minoribus Fratribus exercitum perturbare præsumentes, suspensionem incurrunt, & è contra. Item & religiosi conjungentes in matrimonium, vel benedicentes sponso alienæ patriæ absque Parochi facultate; aut præsumentes introducere mulieres in monasterio. *Ibid. n. 16. & seq.*

Absolutio à suspensione.

46. Suspensio lata ad tempus, eo tempore lapsa, cessat absque alia absoluteione. sicut etiam suspensio lata cum particula, donec satisfeceris, exhibita satisfactione. *Ibid. punct. ult. n. 1.*

47. Non sunt determinata aliqua verba ad absolvendum à suspensione: nec est necessarium in absoluteione explicare causam, ob quam contracta est suspensio, petendum est tamen juramentum in delictis gravibus obediendi Ecclesiæ. *Ibid. num. 2. & seq.*

48. Episcopus potest absolvere suos subditos à suspensione Papæ reservata vel perpetua, modo proveniat ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum. Adverte tamen suspensionem laticam in puram pœnam pro delicto præterito, auferri non posse ab ordinario, aut ab alio inferiore; auferitur enim per dispensationem, quæ non datur ab inferiore eo qui eam tulit. *Ibid. num. 5 & 6.*

A D D I T I O.

De suspensione multa Navar. à num. 151 cap. 27. Felician. Epi-